



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Doctrina Theologica D. Gummari Huygens In Quibusdam Speciminibus Exhibita**

**Amstelbeeck, Rudolf von**

**Coloniæ Agrippinæ, 1691**

§. 5. Doctrina D. Gummari Huygens circa hominum ignorantiam &  
probabilitatem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39044**

*Doctrina D. Gummari Huygens  
circa hominum ignorantiam  
& probabilitatem.*

**C**irca ignorantiam juris naturæ, genericè acceptam, hanc in dictatis sup. cit. art. 8. observ. 4. post non pauca concipit interrogationem. Verum petes, an ex opposito antecedentis vicissim sequatur oppositum consequentis; id est, an supposito, quod ejusmodi ignorantia non esset voluntaria, sequeretur, quod actio inde procedens non esset peccatum? Ad hanc verò hæc reponit intrepide: R. hanc secundam consequentiam non videri subsistere. An non incurrunt hæc in hanc 46. Bajanam, Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium? Et in 2. inter 31. proscripitas ab Alexand. VIII. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali?

Dicet fortasse, fulmen, quo perstringitur Propositio ultima, me non impetit; illa enim ignorantia, de qua ago, est (ut in finio observ. ead.) supponeretur esse  
non

*non voluntaria, rectè adhuc vocaretur vincibilis.*  
 At quæro, cur id ita censeat? *quia, inquit ibid, absolutè vinci potest, saltem per gratiam.* Non alia igitur de causa ignorantia illa vocari potest vincibilis, quam quia gratia, quæ tamen hic & nunc non datur, dari potest aliqua, per quam posset vinci. Atqui ignorantia, quæ non alio modo hic & nunc vinci potest, quam per gratiam, quæ quidem hic & nunc non datur, sed dari potest, hic & nunc omnino est invincibilis: patet igitur, eum effugio suo sterili iustum Alexandri non declinasse.

De ignorantia in casu particulari in Comp. reimpresso 1684. pag. 178. hæc docuit: *Ipsamet (ut alia taceam) ignorantia malitia, ex qua procuratur pollutio V. G. semper est voluntaria.*

De probabilitate in dict. publ. cit. sup. q. 19. observ. 2. & in Thesisibus propositis 10. Julii 1687. dogmate 3. *effatur indefinitè. Omne probabile, pro ut ... illud accipiunt recentiores, est dubium.* Ergo nullum probabile (pro ut illi id accipiunt) licitum est sequi; cum nullo casu licitum sit sequi verum dubium, etiam illorum Recentiorum iudicio:  
 pra-

practicum scilicet, de quo solo hic li-  
tem movere potest. *Non licet ergo sequi opi-  
nionem, vel inter probabiles probabilissimam;* nam  
opinio inter probabiles probabilissima,  
certò est probabilis: atqui & doctri-  
nam hanc proscripsit Alexander VIII.  
propositione 3. inter 31. & quidem *Tò*  
*opinionem probabilem* accipiendo, prout ac-  
cipiunt Recentiores; quod non diffite-  
bitur, quin imo vult mordicus D.  
Huygens ipse; & per se patet: Rur-  
sus igitur incurrere videtur ejus dogma  
in hanc proscriptam.

## §. 6.

*Doctrina D. Gummari Huygens  
de libertate sine gratia.*

**N**Ullibi magis candidus est, quam  
hic. In compendio reimpresso anno  
1684. impertinenti 107. pag. 331.  
hæc ponit rotundè. *Si gratia sufficiens re-  
quiratur ad libertatem, gratia non est gratia.*  
Eadem tuitus est Præsides Thesibus  
13. Augusti 1683. Mirabitur lector,  
eum S. Augustini alibi tam studiosum,  
hic tam apertè ausum pugnare contra  
hoc